

## USUS E VERSU XII.

- (1) Territoria conceduntur homini ad tempus, ad probandum ejus moderationem atque gratitudinem.  
 (2) Eripiuntur itaque à Deo non immerito possessio-ribus injustis & ingratis.  
 (3) Hæreditario conceduntur, qua transmittuntur quiete ad posteros. At hæc non competunt opulentis singulis: Psalm. XXXIX, 8. Luc. XII, 20. confer Proverb. XIII, 22.

## USUS E VERSU XIII.

- [1] Fama nomenque Dei est æternum inter angelos ac homines.  
 [2] Quid ambitiosorum stupor ineptus, qui nominis studio tam multa audent frustra? vid. præc. I.  
 [3] Quisque recordetur Dei sui, & ut posteritas idem faciat, curet pro viribus: Genes. XVIII, 19.

## USUS E VERSU XIV.

- [1] DEUS judicat & particulariter, & judicabit universaliter: Genes. XVIII, 25.  
 [2] Judicat fontes plectendo, insontes vindicando & extollendo. Conf. Psalm. XVIII, 26.  
 [3] Commiseratio divina fons omnis nostræ felicitatis, L. de Misericordia Dei.

## USUS E VERSU XV.

- [1] De idololatriæ abominabili stoliditate v. præc. I.  
 [2] Metallorum, auri & argenti, abusus datur turpissimus.  
 [3] Quem semel infatuavit excætauitque Satan, hunc facile præcipitat ex amentia in amentiam: 2. Cor. IV, 4. Jes. VI, 10. Psal. L. XIX, 25. 29.  
 [4] Dispicendum diligenter, quale sit manuum nostrarum opus. Ephes. IV, 28.

## USUS E VERSU XVI. &amp; XVII.

- [1] Quisque hominum discat ore suo loqui rectè. Ephes. IV, 29.  
 [2] Oculis videre Dei opera, necessitates proximi,

A laborisque injuncti expeditionem debitam, est demum visus suo recte uti.

[3] Aures non sunt obduranda ad vocem Domini: qui habet aures, audiat: Apoc. II, 7. seqq. neque ad preces pauperum: Prov. XXI, 13.

[4] Nisi anhelitusque abusus datur omnino apertus, quando absque honore Dei concedentis intenti solum sumus voluptatibus. Confer 1. Tim. IV, 4. 5.

## USUS E VERSU XVIII.

Vide dicta Psalm. CXV, 8.

## USUS E VERSU XIX.

- [1] De benedictione laudibusque Dei vide præc. II.  
 [2] De Israelis domo seu posteris constat, totam h. m. designari ecclesiam, Jacobi fidem profitentem: Rom. IX, 6.  
 [3] Status ecclesiasticus, per Aharonis domum designatus, suam merito in populo obtinet dignitatem. v. L. de Ministerio.

## USUS E VERSU XX.

(1) Dum seorsim tribus Levi sit mentio, cum tamen Aharonis, ex tribu hac oriundi jam Psaltes meminerit diserte, confirmatur omnino dignitatum munitiorumque in ordine ecclesiastico diversitas: conf. Ephes. IV, 11. I. Corinth. XII, 10. 28.

(2) Timentes Deum complectuntur universum Dei cultorum cætum. Quisque igitur dispiciat, quem & quomodo timeat colatque.

(3) Crebra hæc laudum exactio arguit nos socordia, teporis, ingratitude, &c. Equi generosi multis haut egent calcaribus scuticisque.

## USUS E VERSU XXI.

[1] Multum omnino refert, num in Zione, vel extra eam, degas; num cætus, cui interes, Deum colat juxta verbum revelatum, an secundum traditiones hominum: Matth. XV, 9.

[2] DEUS habitat in Jerusaleme, imò verò in cordibus credentium: 2. Cor. VI, 16.

## PSALMI CXXXVI. DISPOSITIO.

Solus facit miracula. Magnalia Dei. Bonitas æterna.

CONTINETUR hic religiosa Dei celebratio (1) ab ipsius bonitate: v. 1. (2) majestatem, quia Deus deorum, v. 2. & Dominus dominorum; v. 3. (3) à mirificentiâ: v. 4. (4) à structurâ cæli, v. 5. terræ marisque v. 6. solis, lune, & stellarum: v. 7. 8. 9. (5) à percussione Ægypti: v. 10. (6) educatione Israël: v. 11. 12. ubi (a) scissio maris rubri: v. 13. (b) tra-

ductio Israelis, v. 14. (c) suffocatio Pharaonis cum exercitu: v. 15. (7) à conservatione per desertum; v. 16. (8) deletionem regum Canaan. &c. v. 17. 18. 19. 20. (9) concessione novæ regionis hæreditariæ: v. 21. 22. (10) liberatione humiliatorum: v. 23. 24. (11) alimentatione universæ carnis: v. 25. (12) à regimine cælorum: v. 26.

## PSALMUS CXXXVI.

## EXPLICATIO VERSUS I.

Confitemini Domino: ] i. e. palam, animò hilari, devotò, imperterritò, alacri ac constante, recensete, quæ ad laudem Dei quoquò modò faciunt. Idem hic versus totidem verbis adfuit, Psal. CVI, 1. CVII, 1. CVIII, 1. 29. Vide etiam Psalm. XXXIII, 2. C, 4. CV, 1. Erchantrudis monialis psalmum hunc moribunda audivit decantari à choro cantantium in visione: apud Severan. exempl. mor. p. 197. Nonnulli, referentibus Belgis, opinantur, Psalmum hunc quotidie à Levitis in conventibus sacris fuisse decantandum,

vide 1. Paral. XVI, 41. R. Arama apud Viccarsum ait, vocatum esse hunc hymnum Hillel gadol, laudationem magnam: R. Jobanan dicit illud inchoari ab CXX. ad CXXXVII. Psalmum.

טוב bonus: ] videlicet erga mundum universum; ut proinde singuli hominum laudare eum teneantur.

## EXPLICATIO VERSUS II.

והוה confitemini: ] per anaphoram hoc & sequente versu repetitur vox eadem, idque eo, ut tanto penitus imprimatur, fortiusque inhaereat

reat